

ceolatis acuminatis basi angustatis subcoriaceis subtus ad nervum medium pubescentibus; paniculis subramosis puberulis. — *B. lanceolatae* WIGHT *Icon.* I. tab. 237 accedens, sed foliis subsessilibus ad nervum medium dorso pubescentibus distincta. Arbuscula 15—20 ped., ramulis teretibus, gilvis, glabris, ultimis obsolete angulatis, ad apices fusco-tomentosis. Folia 3—7½ poll., 1—2¼ poll. lata v. minora, ad apicem saepe nervo exserto mucronulata, laurina, nitida, excepto nervo medio subtus pubescente glabra. Paniculae axillares et ad summities ramulorum, 3—6 poll. longae, laxae, patentes, puberulae. Flores parvi, albi, in cymis dispositi. — In sylvis montanis insulae Sumatrae.

**422. *Buchanania macrophylla* BL.:** ramulis teretibus ad apices tomentosus; foliis cuneato-oblongis apice rotundatis v. retusis basi in petiolum decurrentibus coriaceis supra glabris subtus stellato-puberulis; paniculis elongatis subramosis tomentosus. — Arbor trunco 30—40 ped., magnitudine foliorum excellens. Ramuli crassitie digiti minoris, ad apices cum foliis juvenilibus adhuc conduplicatis tomento denso fulvo vestiti. Folia 8 poll.—1½ ped., 3½—7 poll. lata, venis transversalibus permultis parallelis in nervum marginalem arcuato-confluentibus subtus elevatis nervoque intermedio supra appanato v. nonnihil immerso in paginâ dorsali valide extuberante percursa; petioli 1½—3 poll., crassi, dorso rotundato-gibbi, striolati et tomento furfuraceo obsiti, supra plano-excavati et sericeo-velutini, basi decurrente foliorum anguste marginati. Paniculae subterminales, erectae, spithameae ad pedales usque, cum floribus in specimenibus nostris adhuc inexpansis interrupte glomerulatis tomento fusco furfuraceo obtectae. — In Sumatrâ, Borneo cet.

**423. *Buchanania auriculata* BL.:** ramulis teretibus ad apices tomentosus; foliis cuneato-oblongis apice rotundatis v. retusis ad petiolorum basin margine decurrente auriculatis coriaceis glabris; paniculis subramosis tomentosus. — Arbor 30 ped., ad summities ramulorum foliis nondum expansis et inflorescentiâ tomento furfuraceo fusco obtectis. Petioli 1¼—1¾ poll., foliorum basi decurrente marginati, marginibus revolutis, ad basin utrinque in auriculam minutam rotundam dilatatis, dorso convexi, supra plano-excavati. Lamina 5—10 poll., 2—3¼ poll. lata, margine subundulata, supra nitida, venis transversalibus utrinque, sed in paginâ dorsali paulo validius prominentibus. — In montanis insularum Sumatrae, Borneo cet.

*Species minus cognitae.*

**424. *Buchanania?* *zeylanica* BL.:** ramulis angulatis plane glabris; foliis cuneato-oblongis obtusis v. plerumque rotundatis v. retusis coriaceis glabris. — Foliorum formâ cum *B. intermedia* WIGHT *Icon.* I. Tab. 5<sup>8</sup>2<sup>1</sup>5 plane congruens, cujus tamen folia nunquam coriacea, quod illam a *B. latifolia* ROXB. distinguit. An potius ad *B. latifoliam* ROXB. referri possent specimina nostra? At foliorum basis in specimenibus nostris zeylanicis (partim ex J. BURMANNI, aliis e VAN ROIJEN Herbario oriundis, ubi stirps ab indigenis *Ettembe* vocatur) nunquam obtusata, sed in petiolum angustata. Petioli 4—10 lin. longi.